

**A** accidentium, indiuiduum enim substantia quod prius est aliis indiuiduis accidentium, manifestum est per se, & ita dicitur infra cō. 4. & 47. Et quod ista sit mens eius, adducamus uerba eius ibidem in solu. 8. dubii. ubi dicit. Dicimus nos quod Petrus bene differt à Guilielmo in numero, & sunt unus in forma, sicut anima una. Si anima Petri differt ab anima Guilielmi in numero, sicut personaliter differunt in numero. Oportet igitur quod anima Petri, & Guilielmi essent duæ in numero. Et sequeretur ex hoc, quod anima haberet animam, & sic anima Petri & Guilielmi essent una, & eadem in forma. Et pluralitas numeralis, si diuisio sequitur unum in forma, ratione materiae. Unde si anima non admitteretur in corporis diuisione, seu admisione, oportebit, quod quando separata fuerit à corpore quod sit una, & eadem in omnibus. uidelicet in numero quid clarius quæ exponere. Auer. per ipsum tunc dicit. Ideo non potest stare opinio illa, ut ipse opinatur cum principis Peripateticis, quod uidelicet, duo in diuidua sine materia numero distingui possint. Ad hoc igitur respiciens Philosophus quod multiplicatio indiuiduorum in eadem specie non inuenitur in genere formarum nisi in formis habentibus esse in materia, ideo dixerunt absolute materiam esse causam pluralitatis, seu numeralitatis, quia hoc non insequitur formas in quantum sunt formæ, sed formas quæ sunt in materia. Si tamen diligens inquisitor non parat materiam, & formam quæ concurrunt ad constitutionem indiuiduorum in eadem specie, & inter se, & ut constituant indiuiduum, non est credendum, quod materia sit prima causa pluralitatis ipsius formæ, quia forma non sequitur naturam materiae secundum Aristot. in 2. Phy. quia tunc esset à casu, unde Cōmen. ibidem com. 75. ubi Arist. intendit probare quod Natura agit propter finem, inquit. Quia ista propositio est maxima, & fundamentum in hac scientia, & in scientia Diuina, quia si Naturalis non concesserit eam, negat principium finale, & negat materiam esse propter formam, ex quo sequitur ipsum negare agens. generans enim non generat nisi propter aliquid. Et similiter mouens mouet propter aliquid, & cum sequitur forma necessaria materiam naturam, nascitur casu, & sic non erit agens, & si erit, erit frustra & c. Et infra cō. 87. inquit. Et omnes Antiqui diuidentes causam materialem tantum esse, nituntur ex illa reddere causas formarum, & actionum, opinabatur enim quod formæ sequuntur de necessitate naturam materiae, & quod diuersitas earum est ex diuersificatione materiae. ipse igitur uult destruire hoc, quoniam ipse opinatur e contra. quod materia sequitur formam, & est uerum dictum Cōmenta. nam Arist. ibidem tex. com. 91. expresse dicit, & utroque Physico dicitur eam esse causam, magis autem quæ cuius causa, causa enim hæc materiae est, sed non hæc finis, ubi Com. inquit, quod oportet naturalem reddere utraq; causam, quia constitutio rerum naturalium est ex ambobus. Ex materia, & ex illo propter quod est materia. deinde dixit, sed magis debet. I. oportet naturalem sollicitari magis circa causam finalem cum propter causam finalem sit causa materialis, & non propter causam materialem est causa finalis. unde etiam Auicē. 5. supra Metaphy. dicit materia est materia formæ, sed non est causa formæ, licet illum modum dicendi late loquendo Cō. admittere uisus est quandoque, & ideo in uia Arist. & Peripateticorum non teneo primam rationem multitudinis, & pluralitatis in forma materiali. puenire in forma à materia, sicut supra diffuse declarauimus: immo hoc est ex sua propria, & intrinseca ratione, quia ex se pluralificabilis est, quia distantia entium sunt ualde diuersæ, ut scribit Cōmen. in secundo Cœli, & mundi. in com. 64. unde Auer. in secundo de Anima. com. 200. expresse dicit melius est existimare quod diuersitas formæ sit causa diuersitatis materiae quæ e contra uerbo, & in primo de Anima. cō. 53. dicit quod membra Cœli non differunt à membris Leonis, nisi quia anima differt ab anima, & Auer. libro Destruct. destruc. in dispu. 3. in solu. 12. dubii, inquit, quod sequaces Pythagore fuerunt quid dicebant quod pluralitas procedit à materia. \* Plato etiam & sequaces fuerunt illius opinionis, ut patet primo Physy. tex. com. 55. Sic igitur intelligere potuit quomodo apud

Philosophos causa pluralitatis est materia, & causa conuenientia est forma, & quomodo forma pendet à materia in hoc, & quomodo non, nam pauci ad hoc pertinere poterunt.

Diuisibilitas est passio quantitatis.

Prop. 6. 98.

**S**O LET extrahi, & allegari præsens propositio ex intentione Aristot. in 5. Metaphy. cap. de quanto, & est in tex. cō. 8. ubi dicitur. quantum uero dicitur quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, aut singulum unum aliquid, & hoc aliquid natum est esse. Scire debes ne propter multiplicatorem contingat conficere ad intellectum quod partes sunt duplices, subiectiue, & integrales. Partes subiectiue sunt, quæ sunt sub toto uniuersali quod quiditatiue, & in recto prædicatur de ipsis, sicut superius respectu inferioris, & isto modo species sunt partes subiectiue generis, & decem genera generalissima sunt partes subiectiue entis, & indiuidua respectu speciei. Partes autem integrales sunt duplices, quædam enim sunt quæ integrant totam essentiam substantia compositæ, quarum una non potest naturaliter esse sine alia sicut materia, & forma respectu substantia compositæ, & hæc alio nomine partes essentialis nuncupantur, & ab Auer. primo Physy. comment. 5. dicitur partes secundum qualitatem, & de talibus ueritatem non habet proposita propositio, quia diuisio in tales partes, siue sint subiectiue, siue sint integrales hoc modo, quemadmodum materia, & forma respectu compositi non est hæc diuisio passio insequens quantum in eo, quod quantum, diuisio enim totius in partes subiectiue causas, aut ex differentis essentialibus, siue sint uniuocæ, siue sint analogæ, siue per differentias quæ accidentaliter faciunt differre, siue sint modi, siue sint differentia. Et aduerte bene hic unum, quod est notatio dignum, quod est alia diuisio entitativa, & alia quantitativa. Diuisio entitativa ex contradictione causatur, ut quia, est a, & b, est b, ideo a, & b, sunt duo in entitate distincta, in hoc enim errauit uehementer Auicē, ut inquit Auer. de ipso in 4. Primæ philosophia. in comment. tertio, & in 8. com. 10. Metaphy. quia opinatus fuit quod idem esset unum, quod est synonymum entitæ unum quod est principium numeri, immo sunt ualde diuersa, unum enim quod est principium numeri est accidens, & est principium numeri prædicamentalis qui causatur ex diuisione continui, & talis numerus non est nisi in rebus materialibus, & in generalibus, & corruptibilibus, & incorporealis tantum. \* In hac distinctione de duplici numero, cōcordat etiam Plato ut recitat Themistius in 1. de Anima in expositione tex. 26. ubi inquit. Cum enim incorporea natura à quantitate continua remotissima putaretur, utpote quæ nullam molem, aut diffusionem haberet, sed sub discretam comode posse cadere uiderent, numerum illi, & multitudinem assignabant non omnem, sed quæ ueræ, & simplices unitates at tollerent. Dixi ueras unitates ac simplices, quia numerus, qui ad incorporea pertinet, non constat ex his unitatibus, quæ corporali naturæ mortalibus tribuuntur. Nullum enim corpus perfecte unum est, quia distrahatur potest subinde in plura, immo infinite secari, quamobrem numerum illum tanquam ex speciebus, & formis collectum formalem, seu specificum appellabant. Contraque eius generis numeros, ut rerum formas, & species prædicabant, atque huic sententiæ uersus ille de proximo congruit. Quæque suos retinent numeros, numero omnia constant. Alius autem est numerus transcendens, & causatur secundum Diuinos ex contradictione, & partes eius sunt unitates quæ sunt eadem cum essentis rerum. Nam unum, & ens unam naturam significant, & non distinguuntur nisi ratione, uel secundum modum, ut dicit Cōmen. in præallegatis locis non enim superaddit unum supra rationem entis nisi in diuisione in entitates tantum, ut dicit Cōmen. in libro Destruct. destruc. diuisa tertia in solutione. 14. dubii, & non est dispositio que sic accidens, ut uoluit Auicē. Pro quo scire debes quod unum, quod conuertitur cum ente ex hoc quod superaddit modum, qui est priuatio diuisionis, ratione talis modi oppositæ.

Partes sunt duplices.

Partes integrales sunt duplices.

B

Diuisio duplex.

Numerus duplex.

\* ADDI.

F